




Bi
gin


2


















Expende.









AUGUSTUS
PRINCIPIS
EXEMPLUM.

In Plausum natalis se-
xagesimi sexti feli-
cissimi

EXPOSITUS

per

JOHANNEM VALEN-
TINUM ANDREÆ,

S. T. D.



LUNEBURGI,
Typis STELLARUM, 1644.



AUGUSTÆ DOMUS
BRUNOVIC. ET LUNÆB.
TERNIO FLORENTISS.

P. RUDOLPHE AUGUSTE,
P. ANTONI ULRICE,
P. FERDINANDE ALBERTE,

PRINCIPES JUVEN-
TUTIS ILLUSTRIS-
SIMI,

SALVETE, ET CRESCITE.

MOR-

MMORTUOS LAUDARE
solemne olim fuit, & more nunquam
quam illaudato receptum: non item
vivos, quorum alterum, ut ab invidia
semper immune; ita alterum palpo &
adulationi multis affine habetur. Ca-
terum vivam virtutem, dum inter mor-
tales agit, ita ignorantiam obsolescere,
ut sublatam ex oculis quaerere invidios,
juxta Poetam, & alieno demum pra-
conio intelligere, ac cum gemitu desi-
derare sit necessum, vecordis animi &
aliena merita male aestimatis argumens
tum censetur. Quapropter AUGUSTI
Patris Incluti vestri exemplum, quod cae-
lestis providentiae munere seculo nostro
concessum est, latere meos, & quaecumque
alium rare virtutis aestimatorem no-
lui. Quin potius illustre hoc speculum,

in quod vos quotidie oculos defigitis
& coram intuemini, indeque perfectæ
vitæ normam accipitis, in publicum
exponere non reformidavi. Quod dum
extra fucum, & orationis pompam fa-
cio, nudamq; virtutem per imaginem
repræsentō: Haut invidebitis, opinor,
Excelsissimi Principes, cum Dei be-
nignitate usus & possessio vobis, nobis,
præter obsequii gloriam, admiratio
tantum & veneratio sit relicta. Va-
lete & favete

V. V. V. C. C. C.


Devotissimo clienti

Stutgardiæ IV. Eid. Apr. natali

Serenissimi D. Patris LXVI.

A. C. 1644.

JOHAN. VALENTINO
ANDREAE, T. D.



EXcelsior est mentis magnitudo, quam ut ceras & fumosis imaginibus atria in triumphum ducenda ducat, rem, nisi propriâ virtute, nunquam propriam, & si in degeneres inciderit, exprobrabili virtute erubescendam. Sequi majores suos, rectè si præcesserint, id verè magnum est: Altius vero laudis fastigium extruere, & novas palmas veteribus adjicere, plusquàm palmarium. Intereft igitur præsentis seculi, Principum, qui communem mortalitatis sortem supergressi sunt, præclara facta gratâ mente recognoscere; & futuri, eadem velut ante oculos posita habere, & quæ animo adoramus, calamo adornare: nè aut oblitterata virtus incuriæ nostræ præludio in vivis langueat, aut, quæ imitetur, Majorum exempla, desideret posteritas. Quò minùs mihi nunc de venia exoranda circumspiciendum video, si quæ **INCLITUS BRUNSVIGENSIUM ET LUNAEBURGENSIUM**

Dux toto vitæ suæ decursu agere memoratu digna non dubitavit: ego hoc scripto cōsignare & posteris tradere, sine gratia & ambitione, solo bonæ conscientiaæ precio, præsumam. Sed ut Heroum virtutes lambere facile est, ita facundiâ exhaurire difficile; quam dum abesse à mediocritate mea sentio; major rerum prudenter gestarū, quàm meæ laudis ratio habenda fuit. Præstabit tamē sciri, cœli munere huic seculo Principē contigisse, qui præter raras in excelso fastigio dotes, parē nomini suo habeat mentem, tantamq; animo capiat potentiam, quantam Imperio usurpat.

AUGUSTUS, absolutum optimi Principis exemplar, faustum habuit Natalem DANNENBERGÆ, Principatus istius metropoli & paternæ sedis domicilio, IV. Id. Apr. Anno, qui à partu Virginis numerabatur, quingentesimo septuagesimo nono supra millesimum. Pater illi fuit HENRICUS junior ERNESTI Ducis Brunsvicensis, ex SOPHIA Duce Megapolitana, Filius:

Principis Exemplum.

3

lius : Mater URSULA , FRANCISCI Saxoniae Angariae & VVestphaliae Ducis , ex SYBILLA Saxoniae Superioris Duce, Filia: quorum utrinque progenitorum regio sanguine connexa series , omni laude major, hujus Tabulae angustias excedit. Nomen auspicato omine sortitus est ab Avunculo suo majore AUGUSTO, Saxoniae Septemviro , quem velut obrusam sibi haecenus proposuit , ad quam imperii & vitae rationes exigeret.

Quem propitii Numinis benignitas maximum fieri voluit, fratrum quatuor is minimus fuit : HENRICO, ordine tertio, in tenella aetate, FRANCISCO secundogenito , in adulta , spe magnae virtutis acerbo casu extinctis ; JULIO ERNESTO primogenito ante septennium , in viridi senecta , defuncto.

In Parentum sinu DANNENBERGAE educatus , primos illos & florentes aetatis annos, non per ocium , aut luxum , aliasque supremae fortunae illecebras , trans-

A 4

misit ;

misit; sed politioribus studiis consecra-
 tus capacissimum ingenium ita subegit,
 ut mollissima instar ceræ, divini Numi-
 nis timore pariter & amore sigillatus, ex-
 imiis virtutum donis magis ac magis per
 ætatis gradus affloresceret: in studiorum
 verò studio magistros omnes fatigaret, à
 nemine, quod rarissimum, nisi à seipso
 victus. Nimirum virtus annos non ex-
 spectat in eis, quos Mundi Arbiter Impe-
 rio destinavit & Rectores magnis Populis:
 sæpe numero anticipat educationem in-
 doles, florem fructus, lanuginem vera
 sanities.

Anno superioris seculi nonagesimo
 quarto, quindecennis patriâ Aulâ egres-
 sus, primùm ROSTOCHIVM concessit,
 mox anno altero TUBINGAM, in quarum
 civitatum Academiis PRINCIPATUM
 LITERARIUM gessit tam generis dignita-
 te, quàm ingenii dexteritate magnificen-
 tissimè, votivo literatorum omnium ap-
 plausu exceptus. Exquisite eruditionis
 testes

Principis Exemplum.

3

testes reliquit utrobique, ternas orationes, in juventutis quidem flore conscriptas, sed senili prudentiâ meditatae, elucubratasq; : quas admirabili promptitudine memoriæ, quæ bonum illi & fidum totâ ætate nomen fuit, recitavit. Cujus rei fama me, adhuc in prætextata ætate constitutum, ad tam stupendi Naturæ Operis amorem exarsisse memini, ut multas noctes duxerim infomnes, imaginem etiam inter seculi nostri Heroas, non sine taciti voti nuncupatione, dedicarim.

Sed nec styli nostri tenuitas exprimat obortam illam in literatorum animis ægriitudinem, cum Excelsissimus Princeps inopinatò in patriam revocatus, diuturnioris suæ præsentia fructum TUBINGENSI Academiæ intervertit, relicto in maximorum profectuum expectatione, ob amabilem morum concinnitatem, nec non cœlestis ingenii maturitatem, incredibili passim sui desiderio.

A 5

Inter-

Intercescit verò mors patris, qui sub
anni nonagesimi octavi primordia, præ-
cedente seculo, terrestrem principatum
cum cœlesti commutaverat, cujus beatos
cineres & ossa postquam tumulo compo-
suit, ARGENTINAM se contulit, quam
pari facundiæ laude exornavit, dato et-
jam in publico cætu disputatoriæ artis ex-
perimento. Mox in theatrum Europæ
progressus, ITALIAM Orbis ocellum ad-
iit, ibique URBEM ANTE NOREAM
studiorum suorum diverticulum elegit:
dehinc Urbes nobiliores alias lustravit, &
inter eas ROMAM illam Septicollem,
quondam Imperii larem, virtutum pan-
dectas & epitomen nationum, nunc dege-
nerem, & quæ hodiè præstare non potest
ROMAM, ubi Vaticani illum infessorem
CLEMENTEM VIII. Papam vidit. Hinc
per SICILIAM MELITAM usque penetra-
vit, quam Divus Paulus olim adpulsu suo
naufrago nobilem, hodiè illustrem red-
dit egregium Christiani nominis propu-
gnaculum,

Principis Exemplum.

7

gnaculum, ab Hierosolymitani Ordinis magno Magistro, possessum. Relecto in Germaniam itinere, cum temporis non nihil impendisset salutandis Principibus, FRIDERICO Electori Palatino, JOACHIMO ERNESTO & JOHANNI GEORGIO, Marchionibus Brandenburgicis, FRIDERICO VVirtemb. Duci, MAURITIO & LUDOVICO Hassiæ Landgraviis: Domum redux SIBYLLAM ELISABETHAM Sororem, quæ ANTONIO Oldenburgico per fidem matrimonialem in manum convenerat, Delmenhorstam ad Nuptialium orgiorum solennia deduxit. Non multò post tristi nuncio de FRANCISCI Fratris fortissimi Principis obitu percellitur, qui in pervigilio Natalium Christi ad pontem Renschæ torrentis, solito altiùs intumescens, in subjectam voraginem cum equo proturbatus & vortice haustus, occubuerat: cujus Manibus ubi Argentiæ digna Principali Sublimitate, iusta persolvit, perlustrato BELGIO

A 6

iii



in ANGLIAM trajecit: indè GALLIAM, LOTHARINGIAMquè emensus, ALSATIAM & in ea ARGENTINAM, quæ eum biennio ante, in sui EPISCOPATUS COLLEGIUM allegerat, tertium repetens, suis illis non Uliſſeis erroribus, ſed decennali peregrinationi, oculatis auritisque hominum ac locorum exploracionibus egregiè perfunctus, & linguarum peritiâ, rerumque uſu locupletiffimè inſtructus, fauſtam coronidem impoſuit.

Neq; verò intra hos limites ſtetit circumſpecti Principis animus excellſus, ut alienum ſcitè hauriret cœlum, peregrinum calcaret ſolum, tot maria denique & terrarum latifundia pererraret, ſicque milliarium ſpaciis, aut viarum periculis proſectus ſuos metiretur; ſed hominum, quâ natalibus, quâ virtute & eruditionis laude præcellentium conſpectu & conſatione ad ſumma quæq; & præclara admiſſus, ex varia rerum notitia prudentiam cumularet: quicquid ad virtutes faceret

Principis Exemplum.

9

ceret, ubique demerendo: si quid ad vitium, amoliendo longè; ita ut singularum regionum seu artes, seu dotes in se contraheret, labes vitaret sedulò, nullam sibi adfricaret. Vidit igitur & adivit, & coram etiam compellavit summa Christiani Orbis Capita, RUDOLPHUM II. Imp. temporis nostri Janum Clusium: MATTHIAM Cæsarem, Mundi delicias, JACOBUM VI. Britanniarum Apollinem, (cujus utriusque festivis inaugurationibus Francofurti & Londini ipse magna pars solemnitatis interfuit.) HENRICUM magnum Gallia suæ Alciden, ejusque & Fortunæ Filium LUDOVICUM, Delphini titulo adhuc dum salutatum, CHRISTIANUM II. Saxonæ Electorem, Germani pectoris Principem, pluresq; Megistanes alios præcipuæ dignationis, sanguine vel affinitate sibi junctos: ubique sibi amicos paravit, ubique literati Senatus proceres & varia virtutis candidatos sibi obnoxios fecit, & Gratiis suis devotos.

Conjura-

Coniunxit cum his artibus pacis, ne quis sedentarium fortè Principem hic describi à nobis existimet, studium quoque tractandorum armorum, ut qui in Hominum luce tam pulchro scientiarum lumine coruscaret, militaris etiam peritiæ fulgore sublimis existeret: adeò ut MINERVA eum MARTI invidere posset, nisi sapiens Dea utriusque laudis prerogativam, antiquitatis decreto dudum obtinuisset. Cùm enim illi Naturæ beneficio corpus vegetum & agile, forma venusta & verè regia donata contigerit, robur eximium ad seria pariter & jocosa ità instruxit, ut exercitiis variis ad virtutem non civilem modò, sed & militarem passu planè heroico eniteretur. Nemo Equos illo regere artificiosius, nemo eos admotis calcaribus incitare, concitatosque medio in cursu cohibere, mox subitantiâ conversione in recursum, in gyrum, in anfractum, in orbem revocare, & inexplicabiles spaciosum texere labyrinthos

thos peritiùs. Nemo Trojam ludere & belli ciere simulacra felicior. Nemo punctim dimicare aut cæsim, hastam more militari quaterere, aut in altum subito emissam manu iterum colligere & vibrare promptiùs: nemo peniles ex fune annulos dexteriùs induere. Nemo lucta, lancea, cursu decertare scitiùs; nemo arcu & sclopeto ad scopum jaculari certitiùs, aut venandi studio insudare acriùs. Nunc ille lustrare densos saltus, nunc cubilibus feras excutere, per tesqua, per avia persequi. Nunc cervum a fronte gladio aut jaculo vulnerare, nunc apros venabulo excipere, vel plumbeam glandem tormento aut fistula ferrea per feræ pectus trajicere: arte ubique tanta ac velocitate, ut plerisque stupori esset, palmam autem & primas certaminis sæpiùs, in solennioribus Principum ludis & spectaculis, reportaret.

Isthoc illustrium virtutum choragio stipatus & patriæ redonatus, rerum gubernat-

bernacula capessivit, & cum in herciscundæ familiæ sortilegio partem nactus esset inferiorem, HITZGERENSEM nempe Dynastian, æquo tamen animo eam accepit, & Augusti Cæsaris æmulatione ex lateritia marmoream reddidit. Aulam videlicet hîc loci adornavit, Theodosianæ illius sanctæ planè similem & geminam Germanam: quæ ut in Exemplum orbi universo eat, meritò appellari possit, pietatis Schola, Artium officina, commune domicilium & quoddam velut Pantheon regiarum virtutum omnium: asylum aspirantium, bonorum omnium portus & hospitium. Nihil tu hîc desiderares religionis, sanctimonix, integritatis, eruditionis, quod vel in laudatissimo Affectarum cænobio commendari possit. Hoc honestatis sacrarium postquam oculis suis coram arbitratus est VVirtembergiæ nostræ Titus JOHANNES FRIDERICUS, non potuit non laudare magnoperè: qui etiam cum Serenissimo Augusto Tubingæ

IBITUM

initum fraternæ fœdus Amicitiaæ indeli-
batâ fide ad aram usque constanter per-
ennavit. Quis enim pietatem non hau-
riat ab ipso pietatis fonte, sacro Biblio-
rum Codice, quem in prima infantia pro
lacte habuit, à pauxillo puero in cibum,
sanguinemque convertit, ac indè cum
adultâ ætate repetitâ numeratâque cum
annis lectione devotâ & sagaci absolvit:
nec non exquisitâ ad germanam ortho-
graphiam castigatione sibi suorumq; usui
adornavit? Hinc illa pro Ecclesia Christi
sedula cura, cujus se nobile membrum,
non caput, nec Episcopû quidem, sed con-
servatorem novit, ut qui non pedum, sed
sceptrum; nec thuribulum, sed bilancem,
haud claves, sed fasces, cum legis libro,
ex manu Dei acceperit; religione, filius;
amore, pater; vigilantia custos; autho-
ritate, tutor; munificentia, nutritius;
sancitorum, immota basis, quæ verum,
bonumque imperio asserat; arceat fal-
sum & vitiosum, ipsi verò Ecclesie, ejusq;
clavi-

clavigeris ministris, architectonices jus
illibatum & integrum servet.

Ab eodem fonte etiam recti & æqui re-
gula atque norma est, qua Antistitem po-
tius quam Dominum; patrem, quam he-
rum, refert. Princeps exemplo; Dux
virritis; Rector ordinis; Pastor, gregis;
Imperator, Juris; Socius, virtutis.

Ex eadem scaturigine admiranda illa
Pan-sophia quoque est, sed quæ potissimum
Christum sapiat, Christianumque expri-
mat; dehinc omne instrumentum huma-
næ, quâ cætera animalia excellit, indu-
striæ, scitissime tractat, calamo, plectro,
circino, statera, calculo, regulâ, libellâ
magnete, astrolabio, quadrante, globo,
sphærâ, telescopio, typis, & quæ sunt hu-
jusmodi, quibus ima, summaque rime-
tur, tanto superior hominibus cæteris,
quanto inter summates etiam eminen-
tior.

Et quid inter decora apud Illustres ani-
mas numeratur, quod in hoc Principe ad
fasti-

fastigium non exurgat? Nihil palpo, nihil fuco damus: licet calamo prodere, quod fama Publica non tacet. Quis ergo artificum eò, velut in clientelam, non confluat, ubi Architectonica, Mathesis, Musica, Plastica, Pictoria, Cælatoria, universus denique Artium ille cyclus, non Mecænatem duntaxat munificum, sed Judicem accuratissimum, sed redivivum Vitruvium, Archimedem, Euclidem, Apollinem, Apellem, Xeuxin, Phidiam, Lysippum & Praxitelem, adeoque artis suæ socium quilibet non gravatè inveniat? Quis non spes suas, sua vota, nisi omnes eo appellet, ubi non Lucam bovem, non murem Africanum, non ursum Numidicum pluris quàm hominem, non Choræbum majoris quàm Thaletem, æstimari; non amphoras & Veneres, sed ingenia ali: non pompas & spectacula, sed immortalia eruditionis monumenta parari: non ille cebras voluptatum, sed cœli delicias & Artium elegantias appeti audeat

diat & videat? Nimirum Aulam hanc merito nuncupare licet sacrarium Divinitatis, Justitiæ tribunal, Eruditionis emporium, Virtutum palæstram, Elegantiarum promptuarium, Artium receptaculum, & Humanitatis Compendium, cui non, nisi AUGUSTUS, cum imperio præesse & potuit & debuit. Nunquam ab hoc tranquillo Jove contentiosum Eridos pomum in illustres familias projectum est, nulla calamitas agris immissa, nullæ faces finitimis injectæ: nulla in agnatas stirpes fulmina detonuere, nulla tela vulcania, aut mille nocendi artes fabricatæ, nullæ infidiæ, fraudes nullæ Sinonio astu adornatæ. Virum bonum, magnum bonum esse, nemo negat, at majus bonum, Principem bonum, quis non fateatur! At fieri potest, ut vir bonus, sit Princeps malus, cui præstare virum malum, sed Principem bonum ajunt. Qui verò Vir bonus, juxta Princepsque bonus, nonnè maximum is bonum, & salus publica sit! quod de Augusto

gusto nostro bonâ fide gloriamur. Undè nihil nisi faustum, nihil nisi pacificum & concors oriri & in alios derivari potuit: nobisque inter prosperos eventus meritò memoranda veniunt MAURITII Hasli, cum Agnati GEORGII Senioris vidua, MARIA Mansfeldica, in concordia vinculum reductio: FRANCISCI Saxoniae Ducis Leoburgici cum fratre MAURITIO reconciliatio: Fratris JULII ERNESTI sub amicabiles æquitatis leges revocatio: GRUBENHAGENSIVM redituum iusta impetratio: Litigiorum inter JOANNEM & ANTONIUM Oldenburgicos fratres compositio, rerumque CHRISTIANI pupilli ex Sorore Nepotis, (cui longævitatē à supremo Numine precamur,) similis & solida firmatio. Præcipuè verò totius Brunovicensis & Lunæburgensis familiae nomine ad Imp. FERDINAND. II. decenter susceptum & splendidè obitum munus Legationis. Nec non quadriennio post Comitiorum Ratisbonensium, que

quæ præsentia sua ornavit, honorifica visitatio: Quæ singula si prolixiore calamo designare allubesceret, luculentum, industriæ, tranquillitatis & animi, in concordiam proni, præconium proderent, nunc breviter saltem delibatis, & in exemplum attigisse sufficiat.

Cæterum cum vivos, quibus pro dignitate imperat, intra citiorem numerum stare animadverteret, ex mortuis etiam populum & mutis Magistris, exemplo Ptol. Philadelphi, & Alphonsi Arragonii, Senatum coëgit, sollicitus, non tam de palatii ornamentis, quam pacato BIBLIOTHECÆ armario, eo videlicet librorum numero, ut nuper illa quinquagies mille librarum pondo in transvectione pependerit, quam tribus amplissimis indicibus, (qui & ipsi Bibliothecæ vice esse possint) in eum ordinem classes & signa suapte cum industriâ, tum lectione sic manu redegit, ut ad primam cujuslibet materiæ requisitionem, quocunque in genere disciplina-

disciplinarum præsto sit, primoque statim momento respondeat. In quo librorum miti exercitu AUGUSTUS noster alterum præstat Cyrum, Mithridatem alterum, quorum ille Persarum Rex in numerosissimo agmine omnium militum nomina memoriter pronunciare calluit: hic viginti quinque gentium dominator, totidem linguis jus dixit, pro concione singulas absq; interprete allocutus. Quem enim Authorem non novit AUGUSTUS? quem in vernaculo suo sermone Polyglottus ille non legit? Ipse in omni ætate artifex de sacris religiosè, de juridicis justè, de medicis salubriter, de bellicis fortiter, de naturalibus sagaciter, de artificiosis peritè judicat & pronunciat, ipsisq; rebus aptissimè accommodat: quem ad rem quantum laboris, quantum temporis requiratur, si quis calculum ponere velit, mirabitur, indefesso Principi superesse aliquid temporis ad gerendum Reip. clavum, nedum ad refectiorem corporis, aut
laxa-

laxamenta curarum. Nos Divinum Numen prece mentis alata convenimus, ut instrumentum hoc eruditionis & Minervæ armamentarium diu servet posteritati illibatum, & rapaces Bellonæ manus, insanamque Vulcani rabiem ab eo longè propulset.

Porro si quis est, qui scire aveat, quam nobis Palladem, hoc est, quænam edecumati ingenii immortalia monumenta Brunopolitanus iste Jupiter ex fecundissimo tot scientiarum cerebro excluserit & in lucem ac notitiam produxerit, ei confestim liberali manu admetiemur I. LUDUM SCHACCHIÆ cum rithmoma-
chia seriæ eruditionis aureum opus, Lipsiæ evulgatum. II. CRYPTOMACHIAM, profundâ indagine & reconditâ scientiâ sub GUSTAVI SELENI schemate, proprio Marte concinnatam, & mirifico Literarii Senatus applausu exceptam. Atque ut silentio præteream, quæ ab aliena profecta industria vitam Principi no-

pi
RO
BA
us i
FO
Hi
EVA
mira
para
pro
res f
raria
inge
prate
pud
terni
sua
rum
micer
gnabu
Ve
ceci, r
quillo

Principis Exemplum.

21

pi nostro debeant, ANTONII nempe
RONFINII SYMPOSION TRIMERON,
BARTHOLOMÆI FONTII commentari-
us in Persium, & PAPATUS quædam RE-
FORMATIO: sanè PASSIONIS Christi
Historia Harmonica, & qui jam adornatur
EVANGELISTARUM CONCENTUS ad-
mirabilis, quâ accurata pensitatione, quâ
paratus & formæ elegantia, quâ instituti,
pro Ecclesiæ usu, pietate: quâ studio in-
res sacras indefatigabili: totius Reip. lire-
rariæ calculo omnem mensuram sublimis
ingenii & felicissimæ operæ implebit;
præter admirationem verò singularem a-
pud posteritatem conciliabit precium æ-
ternitatis. Ob quod beneficium laudi
suz vectigalem faciet omnem literato-
rum caveam, nec sacri ordinis etiam pri-
micerii fasces suos illi submittere dedi-
gnabuntur.

Verùm ad Aulam, undè diverticulum
ceci, regredior. In minuto hoc sed tran-
quillo tamen Hitzigerianæ Ithacæ regno,

B

optimè

optimè confultus & cœlesti morem ge-
 rens instituto, sequestratis pseudo politi-
 ces arcanis, Mariti quoq; & Patris affecta-
 re nomen pulchrum duxit. Hinc felici
 auspicio in Principalis thalami confor-
 tem elegit, domumque deduxit CLARAM
 MARIAM, SIGISMUNDI AUGUSTI,
 Ducis Megapolitani, virginem viduam,
 BUGISLAI Pomeranorum Principis fili-
 am, & PHILIPPI Stetinenfis, quo sol mi-
 tiorem non illuxit alterum, sororem: cui
 haut dixerim, plusne ornamenti decor &
 pudor muliebris, an pietas, an digna for-
 tiori sexu prudentia contulerit: quæ ta-
 men bis immaturo foetu edito, decimo
 sexto concordis conjugii anno, desidera-
 tissima obiit, vel, quoniam de fidere lo-
 quimur, occubuit. Succesit altera con-
 junx, in mæroris solamen, DOROTHEA
 Anhaltini Princip. RUDOLFI F. tam na-
 turæ, quam animi dotibus, excellens fe-
 mina, cujus matrimonii interventu fa-
 ctum, ut à MAGNO TORQUATO in di-
 versum

verum scilicet Brunovicensis & Lunæburgicæ linæ propago, in liberis quas fecunda mater peperit, ejusque primario Juventutis Principe RUDOLFO AUGUSTO (cui cœlestium donorum thesauros vovemus) felici germine coaluerit. Hæc ubi præter HENRICUM AUGUSTUM primogenitum in bimatu & Anonymam in partu extinctos, etiam ANTONIUM ULRICUM, excelsi animi Principem, & filias duas SIBYLLAM URSULAM & CLARAM AUGUSTAM, inter rara virtutum & morum exempla adolescentes felici nixu progenuit, septimi partus difficultate prostrata animam elisit, & quem foetum in lucem eniti non valuit, intra viscera & domesticum sepulcrum, jam non mater, sed vespillo, sepelivit, magno sui & undecennalis conjugii immortalis relicto desiderio. Contigit tamen Superum benignitate, ut Principis, ad tertiam vota progresso, in amisæ solatium veniret SOPHIA ELISABETHA, JOANNIS ALBERTI



BERTI Ducis Megapolitani filia, regio
 Suecorum sanguine oriunda, quæ Herois
 ut dignitate **JUNONEM**, venustate **VE-**
NEREM, ingenio **PALLADEM**, doctrinâ
MVSARUM DECIMAM repræsentat; ita
 digna omninò est, quæ præclaris hujus se-
 culi feminis facem præferat, utpotè in
 qua una, quicquid excellens excelsumque
 uispiam est, acervatim compactum accu-
 mulatumque reperias. Hæc ternâ hæc-
 nus sobole, **FERDINANDO ALBERTO,**
MARIA ELISABETHA & CHRISTIANO
FRANCISCO immaturè tamen fati in-
 tercepto, Augustam domum beavit, bea-
 tura eandem porrò, quod seriò optamus,
 pluribus fecundæ oleæ palmitibus. Hodie
 florentissimo filiorum ternione viret vi-
 getque Augustæ Domus felicitas: **RU-**
DOLPHO AUGUSTO, altissimæ indolis
 Principe, cui domandum se quondam
 frenandumq; Niveus ille **GUELFORUM**
EQUUS substernet: fortunatus omninò
 futurus, si ad Patris **AUGUSTI** exem-
 plum

Principis Exemplum. 25

plum, gemino Religionis & Justitiæ lu-
pato, cum regi contigerit: ANTONIO
ULLRICO, accurati solidique judicii Ado-
lescente, qui in eunte adhuc ætatis vere,
non dubiæ expectationis floribus pube-
scit, atque ut Halberstadiensis Ecclesiæ
Canonicorum Collegio hodièque est ad-
scriptus, ita eidem EPISCOPATUS istius
infulam, Guellicæ familiæ non insuetam,
bono omine auguramur, iri aliquando
impositum, GEORGII autem Anhaltini
eruditam pietatem, qua Christi oves in
pascua duxit, magno Ecclesiæ bono vo-
vemus: FERDINANDO ALBERTO,
Gratiarum delicio, quem AUGUSTA Pa-
tris felicitas & divina SOPHIÆ Matris in-
doles sub cœlestis præsidii umbra, felici-
bus alis humo haut dubiè tollent, & in
sublimi locato sceptrum virtutis concilia-
bunt. Huic florentissimæ Principum Tri-
gæ, à pietate, à literis, ab exercitiorum
elegantia & mechanicarum artium peri-
tia, ad invidiam instructæ, hoc calidum

B 3

quocq;

quoque Patris suspirium precamur, ut se-
 ipsis meliores, doctiores & clariores cum
 ipso progressu annorum facti, ingentem
 Majorum suorum famam transcendant:
 sicque, eximio virtutum nitore fulgurans
 novum hoc ORIONIS CINGVLVM, Teu-
 toniæ nostræ cœlum exornet.

Magnum hætenus virtute, & augmentem
 sua Augustum vidimus: nunc majorem
 etiam, & fortunis terrisque auctiorem, ac
 verè AVGVSTVM Numinis favore
 factum contemplemur. Postquam in Du-
 ce FRIDERICO ULRICO, è vivis subla-
 to, regius ille Brunonis & quidem ma-
 sculæ profapiæ ramus exaruit: ditionum
 ejus potior pars, quæ à Guelfone nomen
 habet, suo proprio, & Uxoris Anhaltinæ
 jure, AVGVSTO Duci feliciter celsit.
 Grande profectò fortunarum augmen-
 tum, cui né quid ad exaggeratum felici-
 tatis cumulum deesset, per excessum Fra-
 tris JULIERNESTI, qui improlis deces-
 serat, paternis imperiis DANNEBER-
 GICVM

GICVM quoq; principatum cœlestis providentia adjecit. Sed detinebatur sola adhuc Ducatus metropolis & Regia, propugnaculumq; validissimum GVELFERBYTVM: deeratque pulcherrimæ tot ditionum vesti hæc velut lacinia, seu mavis epitogium, & toto quidem deerat octennio. Quare pathnum BRVNONIS nobilem VICVM elegit, ubi causam suam ageret, diu campanam pulsans sine pistillo: quo postea confecto, remoram aliam atq; aliam, dum campanæ pistillus jungeretur, expertus: donec, patientiâ victrice, ipsâ EXALTATÆ CRUCIS festivitate, lætissimo clangore personaret. Quod enim vi & auxiliis humanis impetrari, efficique non potuit, invictâ optimi Principis fide & divinâ adminiculante ope, ingenti velut miraculo, cum omnium faventium juxta ac invidentium stupore perficiebatur: ætatis à magno climacterico, quem festum habuit, lesqui altero; ab accepta HITZIGERA, tricesimo

B 4

nono:



nono: à DANNENBERGICI Principatus
 accessione, septimo, incertum majorenè
 tranquilli animi specimine, an patientiæ
 exercitio duriore, posteritati in exem-
 plum relicto. Nempè cedendo victor pal-
 mam obtinuit, & minoribus acquiescens,
 maximis à Deo beneficiis auctus est AU-
 GUSTUS, iis videlicet terris & populis,
 qui cum paucis Germaniæ conferri, mul-
 tis etiam anteferri possint. Scilicet ut
 solidius gaudium esset, mora intercedere
 debuit: perindè, ut nunquam lætior dies
 est, quam ubi tristes nebularum merces
 Solis radii dispulère. Atque ut sereni
 temporis amœnitas & leniter spirantium
 ventorum flatus minus exhilararent ani-
 mos navigantium, nisi eos tempestatis
 horror, & impetuosi rigor maris excepis-
 set: ità Excelsus Ducis nostri animus gau-
 dium suum minus sentiret, nisi inclemen-
 tior fortunæ aura turbidiores istos nim-
 bos invexisset. Quod si Urbis BRVNO-
 VICENSIS amplissimæ prisca fides & con-
 cors

cors animus accesserit: interetur huic terrarum annulo gemma, preciosissimo oblaqueata auro: & ter magnum AVGVSTI verticem incinget CORONA FELICITATIS, quam Mars & Neptunus frustra olim iteratò ambivêre: pacatiores tamen Dii Apollo, Pallas & Mercurius, velut Ocello suo, placida manu plectere minimè dubitabunt. Sed & JVLLA, sive Helmstadii Athenæum, olim JVLII, (cui sacra sua incorrupta, leges aliâq; incrementa Terra Brunsvicensis æternùm debet,) sed nunc AVGVSTI filia, hoc, velut altero suo Patre, plurimùm ovat, suorumque in rem literariam meritorum arbitrum æquum, studiorum judicem exactum, & mercedis largitorem munificum, solidis in cœlum laudibus extollit.

Hunc talem tantumq; Principem, tân naturæ beneficio & fortunæ ornatu, quàm faventis cœli indulgentiâ huic nostro seculo concessum non novisse, & si noris, non impensè coluisse, & si colas, non in

emolumentum propaginemque Rei Sa-
 cræ, publicæ & privatæ adhibuisse, dignis-
 que gratiis & præconiis non maestasæ, pia-
 culum sit, & supinæ socordiæ, injuriæque
 evidens argumentum. Sanè, cùm annis
 abhinc quatuordecim, primo parario,
 VVILHELMO VVENSLO, Lunæburgicæ
 Nobilitatis apice, dum per eum, VVOLF-
 GANGUM LVDOVICI F. Hohenfelde-
 rum Nobili famulatio addicerem: secun-
 do verò, PHILIPPO HEINHOFERO,
 omnium elegantiarum promocondo, an-
 te triennium in Serenissimi Princip. noti-
 tiam pervenissem: erat omninò, cur me
 beatum prædicarem, quod vivam virtutis
 imaginem, vitæ cum religionis Christia-
 næ professione conformitatem, artium
 cum liberali victu commercium, merito-
 rum laboris cum honore æquilibrium, in
 hoc Heroe cognoscere, æstimare & admi-
 rari licuisset: beatior factus postcà, cùm
 incredibili humanitate & favore planè
 inaudito, me ex tenebris eluctatum, &
 nover-

novercantis fortunæ malignitati subtra-
ctum, in clientelam, literarum commer-
cium, adeoque SACRVM CONSILIVM
clementissimè adscivit, quæ mea felicitas
solstitium suum continget, si excelsi in-
genii vestibulum, frontem serenam, cor-
poris apta compositione decorè specio-
sam fabricam, oris Augusti imperio di-
gnam majestatem, firmæ valetudinis ro-
bur, senectæ floridum virorem, sensuum
integritatem, germanum cultum, men-
sam intra frugalitatis limites restrictam,
lusus artificio suo nobiles, & elegantia-
rum promptuarii: Sed & formosissi-
mam SOPHIAM ELISABETHAM, sex
AVGVSTÆ DOMVS SIDERA lucidissi-
ma, Aulam compositam, Musæum illu-
stre, Bibliothecæ regium apparatus, Ho-
plothecam, non tam armorum numero,
quàm splendore, stupendam, structuras
artificio commendabiles, instrumenta
humanæ sagacitatis infinita, copiæ-cor-
nu inexhaustum, Musicum chorum,

pompam decentem, cum primis triplex
 illud RELIGIONIS orthodoxæ, JUSTITIÆ
 incorruptæ & SCIENTIÆ inusitatae ci-
 melium, quod instar omnium sit, coram
 spectare aliquando & oculis hisce contue-
 ri, mihi dabitur. Quæ omnia dum ani-
 mo mecum revolve, & tot bona raro
 cœli deposito in unum hominem, eumq;
 Principem congesta, eo, quo par est, pre-
 cio æstimo: immortales gratiarum victi-
 mas Æterno Numini mactandas esse, lu-
 bens meritòque profiteor, cujus cœlesti
 providentia, conclamato hoc seculo, e-
 xemplum germani candoris, & integrita-
 tis norma donatum est, in Principe hoc
 incomparabili, qui spretis fortunæ Inju-
 riis, invidiæ obstaculis, perfidiæ cunicu-
 lis, casuum periculis: contritis prætereà
 calumniæ dentibus, neglectis mundi in-
 gratiis & superatis Bellonæ fluctibus, ad
 NATALIS SEXAGESIMI SEXTI ætatem
 feliciter processerit, quâ firmatis denuo
 Quælicæ Domus fulcris, florentibus in
 utroq;

utroq; sexu palmitibus, Aulã ad vitæ tan-
tãtatem & morum elegantiam compofi-
tã, forma politiæ falutaribus legum vin-
culis solidata, sub educatione perfecta
Resp. Christiana ab hoc germano Princi-
pis exemplo audenter petere & liberaliter
expectare poffit, **FILIOS** (fave Tri-
plex in Uno Nomen!) **ILLI SI-
MILLIMOS.**



BRE-

BREVIARIUM VITÆ
AUGUSTÆ.

1579.	10. April.	Augustus Dux natus Dannenbergæ.
1586.		Morbis variolorum.
1594.	12. April.	Venit Rostochium.
1594.	28. Septem.	Redit Dannenbergam.
1594.	8. Octob.	Indè egressus.
1595.	1. Novemb.	Venit Tubingam.
1597.		Morbis dyssenteria.
1598.	3. Martii.	Venit Argentinam.
1598.		Redit Domum.
1598.	6. Octob.	Proficiscitur in Italiã.
1599.	3. Octob.	Romam.
1599.		Siciliam.
1599.	16. Nov.	Melitam.
1600	20. Sept.	Redit Domum.
1600	16. Nov.	Interest nuptiis Ol- denburg. Sororis E- lisabethæ.
1601.	24. April.	Redit Argentinam se- cundùm.

Tubin-

1601.	31. Octob.	Tubingam.
1601.	24. Decem.	Interitus Fratris Francis- cisci, Rennechenloci.
1602.	3. Martii.	Ejus funus Argentorati.
1602.	1. Maij.	Proficiscitur in Belgiū.
1603.	3. Julij.	Angliam.
1603.	25. Julij.	Interest coronationi Regis Jacobi VI.
1603.	25. Octob.	Galliam.
1603.		Vidit Heinricum IV. Regem.
1603.	27. Octob.	Delphinum, Ludovi- cum XIII.
1603.	27. Octob.	Lotharingiam. Alsatiam.
1604.	7. Junij.	Redit Domum.
1604.		Cedit Dannenberg. Du- catum fratri Julio Ernesto.
1604.		Hizigeræ regimen su- scipit.
1604.	13. Septemb.	Redit Argentinam ter- tium.
1605.	10. Jan.	Stutgardiam. Ar-

1605.	27. Jan.	Argentynam redit.
1605.	23. Martii.	Componit Halsos Landgrav.
1605.	8. Aprilis.	Redit Domum.
1605.	16. Maij.	à Joh. Frid. D. VVür- temb. inuisitur.
1605.	Maij.	Febris tertiana.
1606.	7. Januarii.	Saxo. Angaricos Ducos placat.
1607.	13. Decemb.	Ducit Uxorem I. Cla- ram Mariam Pomer.
1609.	17. Aprilis.	Undè I. anonyma.
1609.	12. Septemb.	Vidit Rudolphum II. Imp.
1609.	6. Octob.	Christianum II. Elect. Saxon.
1609.	18. Octob.	Redit Domum.
1610.	10. Maij.	II. anonymus.
1612.	16. Junii.	Coronationi Matthiæ Imper. interest.
1612.		Oldenburgicos Co- mites concordat.
1613.	27. Junii.	Comitiis Ratisbonen. interest. Con-

Principis Exemplum. 37

1620.	Septemb.	Convenit cum fratre Jul. Ernest.
1620.		Adit Cæsarem Mat- thiam.
1620.		Grubenhag. reditus impetrat.
1623.	19. Febr.	Obit Uxor. I. Cl. Mar. Pom.
1623.	26. Octob.	Ducit Uxorem II. Do- rotheam Anhaltin.
1625.	28. Aprilis.	Undè I. Henricus Au- gustus.
1627.	16. Maij.	II. Rudolphus Augu- stus.
1627.	30. Sept.	Obit Henricus Au- gustus.
1629.	Maij.	Obit legationem ad Cæsarem, Ferdinan- dum. II.
1629.	6. Decemb.	III. Sybilla Ursula.
1631.	26. Aprilis.	IV. anonyma.
1632.	25. Junii.	V. Clara Augusta.

VI. An-

AUGUSTI
 DVCIS BRVNOVIC. ET LVNEBVRG.
 Illustris. soboles,
 Ex tero felici matrimonio.

I. II. III.

CLARÆ MA- RIÆ	DORO- THEÆ	SOPHIÆ ELI- SABE.
Ducis. Pom.	Princ. Anhalt.	Duc. Megap.

- | | | |
|--|---|--|
| 1. <i>Anonyma.</i>
2. <i>Anonymy.</i>
3. <i>Sybilla Ur-
sula.</i>
4. <i>Anonyma.</i>
5. <i>Clara Augusta.</i>
6. <i>Antonius Ulricus.</i>
7. <i>proles cum Matre
extincta.</i> | 1. <i>Heinricus
Augustus.</i>
2. <i>Rudolphus
Augustus</i>
3. <i>Sybilla Ur-
sula.</i>
4. <i>Anonyma.</i>
5. <i>Clara Augusta.</i>
6. <i>Antonius Ulricus.</i>
7. <i>proles cum Matre
extincta.</i> | 1. <i>Ferdin. Al-
bertus.</i>
2. <i>Maria Eli-
sabetha.</i>
3. <i>Christian.
Franciscus.</i> |
|--|---|--|

Crescant & multiplicentur!

* *Vide pag. 40.*

Lin. Inneburg. prior.

Go

l.

p.

Al-

li-


20
us.

40.



* pag. 40.


* 25. Otto puer:



- A. C.
1. C. Aëtius. 390.
 2. C. Aëtius. 411.
 3. Aurel. Aëtius. 418.
 4. Tiberius. 428.
 5. Alphorifius. 478.
 6. Maximus. 538.
 7. Bonifacius. 556.
 8. Valerianus. 591.
 9. Aldoardus. 638.
 10. Heribertus. 694.
 11. Ernestus. 752.
 12. Heinr. Estensis.
 13. Berengarius.
 14. Otto.
 15. Sigefridus.
 16. Azo.
 17. Sigesbertarius.
 18. Hugo.
 19. Azo.
 20. Guelphus.
 21. Heinr. Uolphus.
 22. Heinr. Superb.
 23. Heinr. Leo.
 24. Uilhelmus.
 25. Otto puer. *







Cl
len

T
tisi

mi

Sac

ob

fac

inte

ind

nes

ad

gra

rior

ber

que

tem

re c

gan

rum

cas



Admodum Reverende &
Clarissime Domine Doctor, Johannes Va-
lentine Andreae.

Tardiùs quidem quàm debebam aman-
tissimis Tuis literis respondeo; sed non
minori studio & affectu, quàm consuevi.
Sacris autem lectionib⁹ & meditationibus,
ob sanctam Christi memoriam, quam in
sacro-sancta Coena nobis commendavit,
intentiùs, ut par erat, superioribus diebus
indulgens, duas tresvè scribendi occasio-
nes prætermitti passus sum. Jam verò
ad alia studia animum remittenti, nihil
gratiùs primò mihi obvenit, quàm supe-
riores Tuas relegere, atque ad eas rescri-
bere: Tanta enim ibi est elegantia, tanta-
que gravitas, ut, majoremne Volupta-
tem, an plùs utilitatis indè percipiam, fe-
rè dubitem. Equidem non eâ sum arro-
gantiâ, ut eam, quam sive literarum mea-
rum, sive animi præstantiam in iis prædi-
cas, mihi ausim persuadere; non possum
tamen

tamen non mihi ipse plaudere, simul ac considerem, quòd & domi & in remotissimis locis habeam, qui de meis moribus, componendis solliciti sunt. Nihil sanè intermittitis, Tu, dùm laudibus me ornas, dùm inter alia paternum vitæ optimæ optimum exemplum imitandum mihi proponis, dùm virtutum præmia ostendis, magnos virtutis stimulos addis, alii dùm vitia, quorum nemo expers, liberè detegunt, frena adhibent, & qui scopuli vitandi sunt, probè docent. Non facilè ille à recta via aberrare potest, qui & ejus præmonstratorem habet, cujus vestigiis semper insistat, & ab utroque latere à fidelibus monitoribus conducitur, qui fallentem pedem reponunt, & in biviis hærentem reducunt. Nullus horum cùm mihi desit, de mea felicitate Tecum mihi facilè gratulor, non dubitans, eam perpetuam futuram, si Tu pergas doctas eunti manus præbere, & tenera genua optimis

mis
qua
volu
habe
& o

Gu

29

✓


mis regulis suffulcire. Nec deero spei,
quam aut de promptissima obsequendi
voluntate, aut de grato erga Te animo
habere debes: Tu modò fac, omnia studia
& obsequia de me Tibi promittas, Vale.

Tuæ Rev.

Guelpherbyti
29. Aprilis.
Anno 1644.


Observantissimus

RUDOLPHUS
AUGUSTUS
Dux Brunsvv. & Lunæb.



17WA 1824

Bl. 179 m



AUGUSTUS
PRINCIPIS
EXEMPLUM.

In Plausum natalis se-
xagesimi sexti feli-
cissimi

EXPOSITUS


per

JOHANNEM VALEN-
TINUM ANDREÆ,

S. T. D.



LUNEBURGI,
Typis STELLARUM, 1644.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

